

PRAELOQUIUM
IN SEQUENS STUDIUM
DE MODERATORIBUS GENERALIBUS, EORUM VICARIIS
ET CONSULTORIBUS COMPILATUM

Hic annus 1954 in nostram historiam intravit, sub signo Capituli generalis, et electionis novi Rectoris Maioris.

Ideo socii redactionis *Spicilegii historici*, dum rationem instituunt de efformandis proximis fasciculis, cogitare coeperunt de elaboranda serie Superiorum generalium, eorumque Vicariorum generalium et Consultorum, adeo completa, et ex notitiis certis, in nostris archivis conservatis, hausta, ut iusta desideria abunde implerentur.

Quae series — uti speramus — complenda est serie Capitulorum generalium, qua occasione unum alterumve documentum ineditum in lucem proferre poterimus.

Sequeretur — iuxta nostram intentionem — series nostrarum provinciarum et viceprovinciarum, cum eorum superioribus; et — certe vero post diuturnam praeparationem — series omnium nostrorum domuum; earum scilicet quae nunc exstant, quae olim exstiterunt, quae fundari aliquando sperabantur, vel de quibus qualiscumque memoria ad nos supravenit, adiectis notitiis, exactis et completis, quantum fieri licebit.

In his compilandis seriebus aliquando adibimus etiam, circumgestando folia cum certis quaestionibus, vos omnes, fratres, qui universum habitatis orbem, ut, collatis in unum fraterna benignitate notitiis, res absoluta et certa praesentari possit.

Initium facientes horum propositorum, hoc fasciculo inseruimus studium compendiosum, seu seriem chronologicam nostrorum Moderatorum generalium, eorum Vicariorum generalium et Consultorum. - Valete, fratres !

SOCII REDACTIONIS